

pulcritudine precellebat habuitque compositum nomen ex Greco et Hebraico: 'Trea' enim in Greco tres vel tria, 'beth' vero in Ebraico domus dicitur, a tribus videlicet civitatibus parentum suorum, Babilonia, Chalanna et Ninive.

II^e. Fulminato itaque Nino Semiramis cum filiis regnabat, vidensque proceritatem ac generositatem Trebete capta est amore ipsius. Cumque allocuta eum de copula stupri fuisset, ille nimirum^a instigante se naturali iustitia incestum abhorruit^b maternum. Denique illa indesinenter instante, ille atrocitatem ac feritatem metuens matris, ad callida nobilis ingenii convertitur argumenta. Siquidem matri sic repondisse fertur: 'Tuis', inquit, 'o dulcissima mater, imperatis prompto ac libenti animo parebo, precipue cum tui similem in toto orbe nullam reperire queam, si prius, quod mente gero, tuo pariter et auxilio et consilio adeptus fuero. Nam regnum filiorum Ionithi in Eva, quod Indi vel Bracmani possident, auri et argenti ac gemmarum et omnium rerum habundantia exuberat. Quod si imperio nostro adiungere valuerimus, tunc demum securi cupitis immorabimur amplexibus'. His auditis mater verborum filii nimis credula elaborare cepit omni instantia et fabricatis trigeribus aliisque utensilibus armorum infert copiam et ciborum habundantiam. Deinde simul cum filio inito consilio congregat de omni Asia virorum fortium infinita agmina ac deinde profert auri et argenti immensa pondera. Post hec fortissimus dux Trebetha militum suorum convocat^c agmina, et cum ab eis exegisset fidei sacramenta, larga distribuit stipendia. Ad naves deinde cum coniugibus ac liberis quasi totam Indiam possessuri ac stirpem Ionithi properant^d occisuri. Cumque naves inpulissent et marinis fluctibus ac ventorum flatibus se commisissent, Trebetha oculos ac manus ad celum erigens thonantem invocatur, quatenus ipsius iussu ac ducatu in eam partem orbis transponatur, quo et ab humani sanguinis effusione cessare et matris possit incestum devitare. Cuius orationem innocentie Deus amator exaudiens per Ionium secundis ventorum flatibus ad oceani litus veloci cursu naves transposuit, ac deinde boreali impulsu ad Yperboreos^e montes seu ad ubera aquilonis usque perveniunt. Cumque ad occidentalem plagam Europe appulissent, egressi de navibus aras construunt, sacrificia instituunt, et hoc responsi Trebetha accepit, quod tandiu exercitum ducens occidentem

a) 'nimium' P.
'occisuri properant' B.

b) 'horruit' P.
e) 'Yporeos' P.

c) 'congregat' P. d) P;